

æqualibus ex unco fili ferrei B C suspensis, & patellâ eâdem tantundem aquæ purioris quantum prius adepta sub campanam collocatâ, cœpimus exercere antliam ac post haustûs complures ex unco suspensa corpuscula ad patellæ fundum demisimus; hac equidem vice (ne quid dissimulemus) expectationi nostræ minus satisficientes, quandoquidem effectus (quem debiliorem multò futurum conjeceramus) à superiore nihil aut parum differebat. Phæn. XIV.

XVII. Denique monstrare Auditoribus nostris volumus modum parandi sub antliæ campana vacua portatilia, quæ vocamus, eumque in finem vasculi vitrei O labra probè prius polita superimposuimus orbiculo P pariter vitreo & satis plano, mediante tamen circulo coriaceo axungia inuncto, atque ita ut hiarent aliquantum ab initio dicta vasculi labra, suppositis unâ alterâque lenticulâ, prout ad P videre est. Ita paratam machinulam Campanæ supposuimus, antliam mox exercentes, sed circumspectè & æquabiliter, ne concussa labi vasculum lenticulis illis tantisper suspensum faceret ante tempus. Cùm satis exhausta campana videretur, atque adeò aër ex illo quoque vasculo per hiantia labra extractus, studio concusso orbiculo orichalceo, vasculum supra lenticulas suppositas prolabi & subiecto circulo coriaceo undique decenter applicari fecimus, ita conclusis intra cavitatem ejus, quæ antè subjeceramus, cerasis: mox admisso rursus per apertum epistomium M N externo aère, campanâque remotâ, vasculum prius exhaustum orbiculo suo vitreo firmiter adhærere deprehendimus, indicio manifesto, internam ejus cavitatem, si non penitus, maximam partem tamen ab aère vacuum esse, vacuumque adeò hoc parvulum transportari ad lubitum posse, sed extus porro luto quodam probè muniendum & loco quieto postmodum reponendum. Aër enim cùm per insensibiles rimulas surrepat, & concutiendo vel prensando rimulæ illæ facile amplientur, utroque modo vacuum facile repleri necessum est: Phæn. XV.